

Ant. v. Giesbreg. Ant. v.

Nf. 59.1.



1760  
25  
P. 3A, 8.

DE  
ANGELO DOMINI  
CASTRAMETATORE

DISQVISITIO  
MICHAELIS DIE FESTO

ANNI c16ccXXXVIII  
IN ACADEMIA IVLIA  
P. P.

---

HELMSTADII  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.

aa.

ANGELO DOMINI  
CASTRAMELATOR

MICHAELIS DIE FIDES  
ANNI MDCCCXXXIII  
IN ACADEMIA

HAUPTSTADT  
ACADEMIA





PRORECTOR ET SENATVS  
ACADEMIAE IVLIAE

*CIVIBVS SVIS*

S. D. P.



Solennitatem huius diei anniuersariam in ecclesiis nostris non electorum angelorum, quos DEVS creauit spiritus ministratorios, et in gloria caelesti confirmauit; sed ipsius supremi numinis ac principis angelorum cultui sacram esse, optime vos perspectum habere existimamus. Qua de causa in sermonibus, quos hac festiuitate illucescente ad vos dirigere iubet pietas, et beneficia vobis reuocantur in memoriam, quae diuina benignitas per angelorum ministerium in vniuersam rem publicam christianam, ac singulos vere credentes confert, et officia serio commendantur atque inculcantur, quae ad angelorum exemplum primum quidem DEO immortali et patri luminum, deinde vero et nobismet ipsis, et proximo cuius hilari mente omnique studio sunt exhibenda. A solenni hac consuetudine, mentes vestras ad rerum spirituum contemplationem, vitamque christiano nomine dignam excitandi, quum in praesenti recedere nolimus, ANGELVM DOMINI CASTRAMETATOREM vobis pie riteque suspiciendum atque colendum sistimus. Non incognita vobis sunt ver-

A 2

ba

ba DAVIDIS, quae diuino praesidio ex Philistaeorum manibus liberatus, in psalmsi trigesimali quarti commate octauo consignauit: *זנה מלאך יהוה סביב ליראיו ויהוצם: Castrametatur angelus Iehouae circa timentes ipsum, et eripit illos.* Verum alta mente et recta vobiscum via reputetis, de quonam angelo DOMINI hoc loco sermo sit, qua ratione angelus ille castrametetur, et suos eripiat, quoue timore sit prosequendus ab iis, qui in castris ipsius a praesentissimis quibusuis periculis securi esse velint.

Angelum, quem genium tutelarem dicunt, custodem ac speculatorem domesticum, praefectum singularem, obseruatorem rerum humanarum indiuiduum, atque arbitrum non actorum modo, verum etiam cogitatorum, hisce verbis designari, non facile sibi persuaderi patientur, quibus ex sacris literis extra dubitationem positum est, piorum hominum custodiam a DEO saepissime pluribus angelis, nunquam vni angelo, demandatam esse. Quotquot ergo de praesidio, quod spiritus caelestes iussu creatoris atque domini sui fidelibus praestant hominibus, verba DAVIDIS hodie interpretantur, vel vnum bonum angelum, ea praeditum potentia, vt vicem exercitus supplere, et myriadas destruere queat; vel principem cuiusdam turmae angelicae, titulo ANGELI DOMINI indicari contendunt; vel, quae plurimorum est sententia, singularem numerum, pro more loquendi in sacris quoque literis vsitato, loco pluralis numeri positum, aut nomen angeli collectiue sumendum esse arbitrantur. Hinc IUNIUS et TREMELLIVS in versione sua, enallage numeri in margine notata, temere satis a textu originali abierunt, et pluralem numerum pro singulari substituerunt, ita vertentes: *Castrametantur angeli Iehouae circa timentes eius, et eripit eos.* Verum non vna premitur difficultate haec expositio: e contrario sua sponte fluunt, apteque cohaerent omnia, quando eam, quam b. GEIERS vltimo loco posuit sententiam, omnium primam esse censemus, et per ANGELVM DOMINI, angelum Iehouae singularem, qui summi ducis instar multis angelorum copiis instructus pios tuetur, ipsum DEI filium intelligimus. Titulum autem ANGELI CASTRAMETA-

TORIS soli mediatori inter DEVM et homines, qua diuinam suam naturam angelorum DOMINO, et qua humanam super omnes angelos, cuiuscunque sint dignitatis atque ordinis, eucto, quem *angelum increatum* dicimus, iis merito vindicamus argumentis, quae et ipsa supra allata DAVIDIS verba suggerunt, et nexus cum praecedenti et sequenti comitate lucidiora reddit, et alia scripturae loca satis superque confirmant.

Verba DAVIDIS si quis probe ponderauerit, in ANGE-  
LVM REDEMTOREM accurate quadrare omnia, euidenter cognosceret. Etenim vnius angeli Iehouae dum mentio fit, voce מלאך in singulari numero posita, nobis sane non licet, pluralem numerum formare ex singulari, et pluribus id tribuere, quod vni et soli proprium est. Creatus quidem spiritus caelestis quin etiam *angelus Domini* dicatur, nullum nobis dubium est: sed, quotiescunque eandem denominationem in excellentiori sensu, in quo soli cuidam personae diuinæ competit, accipiendam esse docet ipsa verborum, quibuscum construitur, ratio, temeritatis notam effugere non potest, qui vocem ex circumstantiis textus restringendam, in ea, quam codex sacer aliis in locis admittit, latitudine accipere velit. Atqui in hoc DAVIDIS testimonio de angelo Iehouae primum praedicatur verbum חנה *castrametatus est*, quod a re militari desumptum, non tam militum est gregariorum, quam ducis et imperatoris, qui castra dirigit, et pro sua voluntate disponit. Sic MOSES, qui populum Israeliticum ex Aegypto duxerat in desertum, eodem verbo prope montem, super quo gloria Domini ipsi primum apparuerat, *castra posuisse* dicitur Exod. XVIII. 5. Idem quoque verbum adhibetur de SAVLE, rege Israelitarum, in colle Chachila *castra ponente*, cum Dauidem persequeretur cum tribus millibus selectorum militum I. Sam. XXVI. 3. Pari ratione DAVID *castra sedemque suam regiam posuisse* dicitur Hierosolymae Ies. XXIX. I. Quid? quod ipse DEVS in eodem capite Iesaiæ versu tertio *castra positurus* dicatur aduersus Hierosolymam. Cum itaque in dicto nostro non vigilare, non

excubare dicantur angeli, id, quod de spiritibus ministratoriis, de exercitu caelesti recte affirmari potest; sed angelus Domini tanquam **CASTRAMETATOR** describatur: supremus sane militiae caelestis Imperator iure meritoque est intelligendus. Accedit porro, quod soli **DEO** timor debeat, qui ex usu sacri codicis cuncta supremo numini praestanda officia complectitur. In nostro autem oraculo suffixum relatiuum in voce ליראן *timentes EVM*, ad ipsum commode referri potest angelum Iehouae. Talis ergo angelus intelligi debet, cui ecclesia diuinum, ipso **DEO** iubente, cultum deferre tenetur. Vltimum tandem verbum ערפן *eripuit*, in genuina sua significatione acceptum, nec non in relatione ad varias piorum calamitates, ex quibus sunt eripiendi, supremam, finitaeque virtute superiorem infert potestatem, quae omnibus malis mederi possit, et affictos ex omnibus angustiis educere. Hinc etiam interpretes, qui verba **DAVIDIS** de angelis creatis accipiunt, vltimum hoc verbum in singulari retinent, et angelorum Domino, in piis hominibus liberandis angelorum quoque ministerio pro voluntate sua videnti, tribuendum esse censent. Sed quid opus est, nouum ad posterius verbum referre subiectum, cum idem, quod prius respicit, in vna eademque orationis serie omnino sit retinendum? Idem ergo **ANGELVS IEHOVAE** et **CASTRAMETATOR** est, et **EREPTOR** seu **LIBERATOR** supremus, a quo salutem et libertatem expetere atque sperare possunt vere credentes, quibuscunque in hac miseriarum valle angustiis vrgeantur.

Atque id ipsum egregie confirmari potest ex commatibus verbum nostrum et praecedentibus, et sequentibus. Verus et vnicus **DEVS**, cui soli nomen יהוה proprium est in diuinis literis, a **DAVIDE** celebratur in praecedentibus commatibus, quae ex versione **b. SER. SCHMIDII** ita fluunt: *Magificate IEHOVAM mecum, et exaltabimus nomen eius vna. Quae sui (enim) IEHOVAM, et respondit mihi; et ex omnibus timoribus meis ERIPVIT me. (Ideo) respicient ad illum, et confluent; et facies eorum ne erubescant. (Dicite:) Hic miser cla-*  
ma-



mauit, et IEHOVA audiuit, ac ex omnibus angustiis eius ERIPVIT eum. Atque hisce verbis nostrum subiungitur oraculum: CASTRAMETANS (enim) ANGELVS IEHOVAE circa timentes Ipsum, et LIBERAT eos. Tum in sequentibus gustare et videre iubentur pii, quam bonus sit IEHOVA, eundemque timere, quia oculi IEHOVAE (sunt) super iustis; et aures eius versus clamorem eorum: facies (autem) IEHOVAE contra facientes malum, ad excindendum e terra memoriam eorum. Qui itaque in commate nostro ANGELVS IEHOVAE dicitur, idem ille IEHOVA est, cuius laudes in hoc psalmo decantantur, qui precibus piorum benigne respondet, et calamitates eorum solus leuare ac tollere potest; quique summam suam bonitatem conspiciendam ac gustandam praebet fidelibus, et a sanctis est timendus ac reuenter colendus.

Quod si ex vniuerso codice sacro ea nunc conferre velimus oracula, quae dicto nostro recte explicando plurimum lucis afferunt, amplissima nobis esset differendi materia. Summam vero dicendorum vt paucis complectamur, primum extra controuerfiam positum est, filium DEI in sacris literis מלאך יהוה angelum IEHOVAE appellari, quippe quem pater caelestis ab aeterno in mundum mittere constituit, et tempore delapsos, a potestate satanae et vinculis peccati atque mortis liberaret. Sic angelus Iehouae dicitur Genes. XXXI. II. coll. vers. 17. Exod. III. 2. 4. 6. etc. et Ies. LXIII. 9. angelus faciei Dei Mal. III. 1. angelus foederis. Porro angelus ille Iehouae, qui per ministerium Moysi populum Israëliticum ex Aegypto eduxit, atque per amorem et clementiam suam portauit, CASTRAMETATORIS munere defunctus est, dum ante castra Israëlis incedens, post eos iuit, et in custodia matutina ad Aegyptiorum castra prospexit, eademque perturbauit, discussit, deleuit. Exod. XIV. 19. 20. 24. Idem quoque Ios. V. 14. סר צבא princeps exercitus IEHOVAE appellatur, cum omnes exercitus DEI in caelis pariter atque in terra ipsius nutui ob-

tem-

temperare debeant. Et hunc angelum Israëlita *timere* iubentur, et cauere sibi a facie ipsius, vocemque eius audire, nec exacerbare eum, quod praeuaricationem eorum non sit sustenturus, quoniam nomen DEI in medio illius est Exod. XXIII, 20. 21. Idem denique angelus est, quem Iacobus dicit *הַמַּלְאָךְ הַהוּא* *angelum redemptorem*, a quo sese ex omni malo ereptum esse praedicat, et a quo iam iam moriturus piis contendit precibus, vt Ephraïmo et Manassi benediceret, eorumque posteros foecundaret, et piscium instar in terra multiplicaret.

Quibus argumentis quum tantum infit ponderis, quantum ad veram solidamque ex dicto Dauidis percipiendam sententiam sufficiat, AVGVSTINO cum GEIERO, IO. AD. OSIANDRO, ISAACO FAVSTO, COCCEIO et aliis lubentes suffragamur, qui in hunc locum tom. 8. p. 240. ita commentatur: *Quem hic dixit angelum Domini, qui immittit in circuitu timentium EVM et eruet eos? IPSE DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS in prophetia dictus est magni consilii angelus, magni consilii nuncius. Sic illum dixerunt prophetae. Ipse ergo magni consilii angelus, id est nuncius, immittit in eos, qui timent Dominum, et eruet eos. Noli ergo timere, ne lateas. Vbi-cunque Dominum timueris, nouit te ILLE ANGELVS, qui immittit in circuitu, et eruet te.*

Sed qua ratione ANGELVS CASTRAMETATOR, IESVS CHRISTVS Saluator noster, prouidam suorum curam demonstrat? Hanc duo indicant DAVIDIS verba, *הַמַּלְאָךְ* et *הַרִּץ*. Prius verbum interpres graecus reddit *παραμβολῆς*, quem latinus, inconsulto codice hebraeo, ex quo ambiguitas verbi graeci, et *immittere*, et *castrametari* significantis tolli potuisset, secutus vertit *immittet*, scilicet auxilium. Recentiores autem interpretes *castra ponendi, manendi, habitandi, firmandi, vallandique*, significatum eligunt, exprimuntque. Posterius vero in Piel positum, monente GEIERO denotat *cum conatu eruere*, v. gr. lapidem e pariete. Leu. XIV. 43. Ab utroque simili, quod in verbis latet, si discefferimus, et opem ac tutelam ANGELI CASTRAMETATORIS, hisce verbis designatam, pia mente inqui-

inquisuerimus : primum gratiosam perpetuamque CHRISTI REDEMPTORIS praesentiam ; tum sapientissimam atque saluberrimam eius gubernationem ; et denique plenariam liberationem ab omni malo, nobis promissam esse atque confirmatam cognoscemus. Sic namque dixit altus et excelsus, habitans in aeternum, et cuius nomen SANCTVS : Equidem *in alto et sancto loco habito ; attamen cum contrito corde et humili spiritu sum, ad viuificandum spiritum humilium, et ad viuificandum cor contritorum.* Ies. LVII. 15. et cap. LIV. 10. *Montes recedent, et colles dimouebuntur ; sed misericordia mea a te cum non recedet, et foedus pacis meae non dimouebitur ; dixit miserator tuus IEHOVA.* Sic etiam prudentis ducis instar suos disponit milites, eosdemque custodit, ne ex hostium insidiis intereant, sed ab illorum insultu securi praestentur. Insidias autem iam subactos, et in varii generis periculis malisque confutatos potenter eripit, (conf. Pf. XXXIV. 20. et CVII. 6. 13. 14. etc.) vt ducis sui gloriam celebrent in aeternum. Sic PAVLVS sibi ab omnibus relicto DOMINVM adtittisse, seque confortatum a Domino, ex ore leonis ereptum esse gloriatur, additque certissima spe fretus : *καὶ ῥύσεται με ὁ Κύριος ἀπὸ παντός ἔργου πονηῶν, καὶ σώσει εἰς τὴν βασιλείαν αὐτοῦ τὴν ἐπαγγελίαν ἧ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰῶνων ἀμήν.* 2. Tim. IV. 17. 18. Atque in hoc opere modo ipsemet virtutem suam ostendit ; modo angelis vitur ministrantibus, qui dicto ipsius laeti hilaresque morem gerunt. Nam et ipse angelis suis praecipere potest, ceu princeps angelorum, vt fideles in viis suis custodiant, et in manu quasi ferant, ne forte pedem suum in lapidem impingant.

Et hi quidem fideles, quos in castra sua recipit, et in quorum circuitu castrametatur, a DAVIDE dicuntur *יְרֵאָה תַיִמְנֵזִים* *Ipsim.* Timorem Domini vniuersum cultum DEO CHRISTOQUE praestandum denotare, supra quidem iam monitum est : ab instituto autem praesenti, nostroque officio non alienum esse iudicamus, si distincte curateque, strictim tamen et breuiter exposuerimus, quinam sint vere timentes DEVM atque

B

que

que Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, quive de ANGELI CASTRAMETATORIS praesidio atque auxilio certi esse queant. Ad tria redigi possunt capita, quae hoc de argumento ex sacratoribus literis moneri, nec vnquam satis inculturari possunt. Qui DEVM CHRISTVMque timere velint, primum non solum agnoscant necesse est, esse DEVM, eundemque supremum, vti auctorem, ita et iudicem omnium mortalium; sed etiam verbum promissionis de salute per semen mulieris, quod caput serpentis contritum erat, et opera satanae iam destruxit, consequenda, summo cum desiderio, veraque fiducia recipiant, et CHRISTVM profiteantur publice DOMINVM suum, a quo, et per quem omnium peccatorum remissionem impetrare possint, et cui soli servire velint. conf. Ps. CXXX. 4. Hoc potissimum respectu timorem DEI initium sapientiae dicit DAVID Ps. CXI. 10. et SALOMO Prov. I. 7. quia absque salutari cognitione CHRISTI, et serio proposito in omnibus obtemperandi patri caelesti, divina non datur sapientia, et eiusmodi timor Domini praecipua atque solidissima est scientia. Tum vero numinis timorem actu ipso demonstrare debent, qui in castris huius ANGELI militant, et ita quidem, vt abnegatis omnibus concupiscentiis mundanis, σοφρονως, και δικαίως, και ευσεβώς viuant in hoc sacculo, (Tit. II. 12.) et DAVIDEM audiant docentem timorem IEHOVAE in psalmo nostro v. 12. sqq. vbi speciatim linguam custodire iubet a malo, et labia, ne loquantur dolum; et generatim recedere a malo, et facere bonum, quaerere pacem, et persequi eam. Vltimum IEHOVAM timentium officium est, vt in fide et praeceptorum diuinorum obseruantia perseuerent; vt a securitate carnali sibi caueant, semperque diaboli, mundi, atque carnis insidias, illecebras et cupiditates metuant, perpetuas aduersus hosce inimicos agant excubias, et salutem suam operentur cum timore ac tremore (Phil. II. 12.); vt denique nihil magis in votis habeant; quam vt in timore Domini per Ipsius gratiam semper conseruentur, et IEHOVA viam suam

suam ipsemet doceat, quo in veritate ambulent, atque adunet  
corda fidelium nominis sui timori. (P.LXXXVI. II.)

Diuinum ANGELI CASTRAMETATORIS benefici-  
um, a DAVIDE decantatum, hodierno die festo a nobis  
quoque celebrandum est, qui elapso vitae nostrae tempore cu-  
ra atque praesidio ipsius custoditi sumus a variis, quae nobis  
structae fuerunt, insidiis, et ex plurimis, quibuscum colluctan-  
dum nobis fuit, malis erepti. Castra huius ANGELI caelestia in  
circuitu regionum nostrarum, et praesertim circa academiam  
nostram, in hunc vsque diem posita fuisse, haud vno comperti  
sumus documento. Spiritus quidem malignus, qui vt leo ru-  
giens obambulat, quaerens, quem absorbeat, (1. Petr. V. 8.) nos  
quoque laessere non desit: Angeli tamen Castrametatoris  
praesidium a turbis et molestiis securam reddidit IULIAM no-  
stram, atque vota nostra ardentissima exaudita esse, et DEVM  
pacis satanam sub pedes nostros contriuisse, hoc ipso die  
merito depraedicamus. Magnificate ergo nobiscum, o CIVES  
OPTIMI atque SVAVISSIMI, angelum Iehouae, qui et ipse  
IEHOVA est, et per angelos suos in viis nostris nos tuetur ac  
protegit. Gratias persoluite numini pro tranquillitate pacis,  
qua nobis perfrui licuit: et supplices orate nobiscum, vt AN-  
GELVS CASTRAMETATOR porro SERENISSI-  
MAM AC POTENTISSIMAM DOMVM BRVNSVI-  
CO-LVNEBURGICAM incolumem seruet, et ad finem sae-  
culorum florentissimam; vt ab hac academia omnem prop-  
ulsset iniuriam, eandemque ab omni errorum vitiorumque  
contagio immunem praestet; vt nobiscum maneat, inter nos  
habetet, et mentes nostras dirigat, quo numerus vere timen-  
tium ipsum in coetu nostratum tacitis incrementis in dies au-  
gescat. Nostrum est, vt ad sincerum numinis timorem vos om-  
nes et singulos blanda non minus, quam seria cohortatione  
concitemus, cum omnes praesidii atque auxilii diuini parti-  
cipes esse velitis. Ecquid enim magis aequum est, atque pium,  
quam vt ipsum recte agnoscatis, cuius castris vox addicti esse

videri vultis? quam ut in ducem vestrum confidatis, et ab ipso certissimam expectetis liberationem? quam ut ad verbum ipsius, in quo de voluntate sua nos certiores fecit, animos conuertatis, et actiones, sermones, atque cogitationes ex praeccepto illius instituat? Absit! absit quam maxime, ut quispiam vestrum, O DILECTI, in castris tenebrarum versetur, et ab impuro spiritu ad suam ducatur, trahaturque voluntatem. Exploretis, quaesumus, cui seruiatis, et toto pectore exuatis, quicquid profani indignique nomine christiano vlla ex parte deprehenditis. Adhaerescatis potius iustitiae ac honestati, et, quod reliquum vitae diuina vobis prouidentia constituit, in vero veri numinis timore transigatis. ANGELVM DOMINI vobis semper adesse cogiteris, quem si pura castaque mente nunquam non colueritis, ducem ac protectorem habebitis, inter tot ancipites aetatis vestrae casus angelorum suorum custodia vos dignaturum, vosque erepturum ex omni calamitate, quocunq; nomine veniat. DEVS et Pater Domini nostri IESV CHRISTI sui timore corda vestra impleat, et tristitia quaeuis a vobis auertat.

P. P. Helmstadii d. XXIX. Septembr. ann. c1o 1o ccxxviii.



Fd 3984

ULB Halle 3  
002 164 590




TA-OL

V317

MW







Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



A, 8.

1760  
25

DE  
DOMINI  
METATORE  
VISITIO  
S DIE FESTO  
oIcccXXVIII  
EMIA IVLIA  
P. P.

MSTADII  
ETERICI SCHNORRII  
TYPOGR.

aa

